

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

I.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)



I.

IN serio maxime negotio te, vir reverende & charissime frater, detineri facile æstimo, cujus cogitationem absens corpore, præsens autem spiritu nunquam depono, spemque simul foveo, daturum Dominum, ut fructuosus sit hic labor tuus Ecclesiæ DEI. Equidem quousque factus progressus sit, intelligere, licet crebro sciscitans, non potui, quia nihil literarum à mensibus aliquot istinc accepi, uteunque ego bis & tertio scripserim, auspicia tamen felicia operis inde colligo. Primum quod intellexi, D. Philippum, filium tuum, prælectionem in theologia exorsum esse, idque feliciter & bonorum applausu. Deinde quod instauratio Collegii Sapientiæ cœpta sit & jam nunc alumnos aliquot in eo receptos foveri: Non nihil item subsidii ex liberali illustrissimi electoris contubernio accessisse. Denique tuo interventu apud amplissimum Senatam Francofurtensem effectum, ut quæ hæcenus impetrari non potuit, facultas concessa sit D. Petro Patienti, in ea, in quam vocatus est, statione consistendi, cujus & dexteritas & zelus plurimum adferet momenti ad sinceræ reformationis confirmationem. Quæro verò te, ut per hunc præsentium latorem, contubernalem meum, Augustanum patricium, de omnibus me facias certiozem, eumque ipsum, si qua non est incommodum, apud D. Fuckerum autoritate etiam tua promoveas. Sturmium audimus contra Osiandrum, scriptum parere, quem forte quiescere præstaret, nisi fortè sic hanc causam tractet, ut declaret, se facturum, quod opinantur, nequaquam *zuzunehmen*. Dolet ex animo mihi, non concedi per ambitiosa cerebrosa ingenia Ecclesiæ pacem, quæ si ullo unquam tempore, hoc maxime sit necessaria, posteaquam à tot infestis totius pietatis hostibus inæpetimur. Verum si ita visum est Domino, nos cribrari, æquo feramus animo & imploremus DOMINUM, ut scutum ipse nostrum sit, protectio & refugium. Sed bene vale, vir clarissime, cum filio Doctore Philippo: Quem meis verbis salvum jubeas amanter. Salutant te & illum Coccius & Fieglinus amanter & reverenter. Basileæ, 11. Januar. Anno 80.

T. Sulcerus.

ex animo.

II.